Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

pore; propter quod et mortuus est. Predestinatus est autem filius dei et dominus ip-
sius David ex resurrectione mortuorum. Inquantum enim mortuus est,
ad id pertinet quod est filius David. Inquantum autem resurrexit a mortuis,
ad id quod est filius dei et dominus ipsius David. Sic alibi idem apostolus dicit:
Nam etsi mortuus est ex infirmitate, sed vivit in vir-
tute dei. Ut infirmitas pertineat ad David, vita vero eterna ad
virtutem dei. Ideoque in his ipsis verbis dominum suum designat eum
David dicens: Dixit dominus domino meo: sede ad dexteram meam do-
nec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis. Ex eo enim quo
resurrexit a mortuis, sedet ad dexteram patris. Predestinatum
ergo ex resurrectione mortuorum, ut sederet ad dexteram pa-
tris, videns in spiritu David, non auderet dicere filium suum. Unde
et consequenter apostolus hic adiungit: Ihesu Christi domini nostri. Postea quam 55
dixit ex resurrectione mortuorum, tamquam admonens ut non
illum David dominum suum potius quam filium esse testatus sit. Non autem
ait eum predestinatum ex resurrectione a mortuis, sed ex re-
surrectione mortuorum. Non enim resurrectione ipsa sua
filius apparuit dei propria illa et eminentissima dignitate, qua etiam
caput est ecclesie, cum et ceteri mortui resurrecturi sint; sed filius
dei predestinatus est quodam principatu resurrectionis, qui ex re-
surrectione omnium mortuorum ipse predestinatus est, id est
ut pre ceteris et ante ceteros resurgeret designatus. Ut
quod hic positum est filius dei, cum dixisset predestinatus est, ad docu-
mentum valeat tante sublimitatis. Non enim sic predestinari
oportuit nisi filium dei secundum quod est etiam caput ecclesie. Unde illum
alio loco primogenitum ex mortuis appellat. Cum enim de-
cebat venire ad iudicium resurgentium, qui precesserat ad exem-
plum, neque ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum

186